



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 1. Ad Deum optimum Mundi procuratorem pertinere tam parui, quàm
magni mundi vices.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

CAPVT XIII.

Quantam DEVS pauperum suorum curam gerat?

§. I.

Ad DEVM optimam Mundi procuratorem pertinere tam parui, quam magni Mundi vices.



I hæc omnia, quæ declarauimus, nihil essent, illud tamen vel vnicum meritò pauperes animaret, quòd Deum habeant curatorem. Securissime degunt illi, qui se sciunt, bono ac fidelis œconomo suo fidere posse. Quo pacto rex Pharaon olim dixit ad Ioseph: *Numquid sapientiorum, & consimilem tui inuenire poteris? Tu eris super domum meam, &c.* Quis melior, fidelior, sapientiorum est Deo? Numquid consimilem illius inuenire poterimus? Si ergo ille est pauperum curator & procurator; quid potest illis deesse? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* dicebat Apostolus. Fames? sitis? inopia rerum omnium? Nequaquam. Nam Deus his omnibus est potentior. Vel eripiet igitur ex illis miseros, vel faciet eos in illis ipsis felices. *Est homo*
marc.

Gen. 41.
39.

Rom. 8.
31.

Eccli. 11.
18.

marcidus, egens recuperatione, plus deficiens
virtute, & abundans paupertate: & oculus Dei
respexit illum in bono, & erexit eum ab humili-
tate ipsius, & exaltavit caput eius: & mirati
sunt in illo multi, & honorauerunt Deum, qui
rotam nouit vertere, atque depressa rur-
sus exaltare. Et vel hinc multi pauperem
non despiciunt; nam apud se cogitant, vo-
lubilem esse fortunæ statum. Quid si enim
ille breui sit supra me, quem ego nunc vi-
deo infra pedes meos iacentem? Numine
enim iubente, vt Ausonius ait:

Auson. in
Epigram.

*Fortuna numquam sistit in eodem statu,
Semper mouetur, variat, & mutat vices;
Et summa in imum vertit, ac versa eri-
git.*

Terram vides? orbis est, vt vel hinc memo-
res simus volubilitatis. Cælum ipsum aspice:
quotidie vertitur: & ipsa sidera, quæ inter-
diu sunt summa, noctu occidunt, sunt-
que ima; vicissim internoctu conspiciun-
tur superiora, quæ interdiu infra nos vo-
luta sunt. Quemadmodum ergo ordo vni-
uersi postulat continuam mutationem; ita
& Conditor Vniuersi *marcidum & egentē*
recuperatione erigit, & exaltat caput eius; vt
etiam in paruo Mundo hæc rota inuenia-
tur.

Virgil.
Eclog. 9.

Matth.
23. 12.
Matth.
19. 30.

tur. Quare, si prophani dicunt: *Sors omnia versat*, multò veriùs dici potest: *Deus omnia versat*: aut, vt ipse Deus dicit: *Qui se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur*. Quod, nisi fiat in hac vita, certò eueniet in vita futura, in qua *erunt primi nouissimi, & nouissimi primi*. Hanc spem natura pauperibus suggerit, & author naturæ.

§. II.

Varia caussa, ob quas peculiarem pauperum curam gerit DEVS.

Hinc altera caussa emergit curæ diuinæ. Prima enim erat, quòd ordo vniuersi exigeret hanc vicissitudinem; altera autem est, quòd ita mereantur, qui se humiliant, vel sponte atque vltro; vel si non vltro, saltem patienter. Hinc enim & Deus peculiarem illorum curam gerit, qui dum suam voluntatem diuinæ accommodant, digni sunt, vt & Deus *faciat voluntatem timentium se*. Volunt enim, vt summus Pater curet, quos, tamquam infimos, nemo curat. Et sanè hinc tertio res ipsa pauperum causam agit, apud æquissimum iudicem, vt ijs qui maximè ope indigent, maximè opituletur. Quod eum facere, & scri-
ptura